Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Daniel Parschitz Andreas Rise

Tabula III : De Definitione Et Divisione Enunciationis

Rostochii: Richelius, 1662

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730578550

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU phil 1662

Daniel Parschitius
Andreas Rise

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730578550/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730578550/phys_0002
DFG

I. N. J.

TABULA III.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONE ENUNCIATIONIS,

Quam,

Benigniſſimo JESU auxiliante,

Philoſophâ Facultate conſentiente,

publicô, candidè Philoſophantium, ſiſtunt examini

PRÆSES

M. DANIEL PARSCHITIUS,

PANNONIUS,

Reſpondens

ANDREAS RISE, Stolpâ-Pomeranus,

ad 8. Novembris, Anni, quo

DeVs ConſoLabItVr MIſeros!

In Auditorio Majori, horis antemeridianis.

ROSTOCHII

Typis Johannis Richelii, Senatûs Typogr. 1662.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730578550/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730578550/phys_0004
DFG

TABELLA III. D

Benignissimô JESU auxilian

præſes, M. DANIEL PA

D

TABELLA III. DE DEFINITIONE & DIVISIONE ENUNCIATIONIS, qvam

Benigniſſimô JESU auxiliante, Philoſophâ Facultate conſentiente, publicô, candidè Philoſophantium, examini, ſiſtunt

Præſes, M. DANIEL PARSCHITIUS, Pannonius. Reſpondens ANDREAS RISE, Stolpâ-Pomeranus.

Die 8. Novembris, Anni, quo DeVs ConſoLabItVr MIſeros.

In Auditorio Majori, horis antemeridianis.

I. *Quid?* ENUNCIATIO eſt Oratio, in qva prædicatum de ſubjecto, mediante copulâ eſt, affirmatur vel negatur. *Dicitur aliàs Propoſitio, Enunciatum, Axioma.*

II. *Quæ partes? Materiales duæ:* SUBJECTUM, qvod, in Enunciatione Logicâ, copulam *eſt* præcedit: & PRÆDICATUM, qvod eandem ſeqvitur. *Formalis una,* COPULA *dicta,* qvæ vinculum, copulans Prædicatum cum Subjecto. NOTA: *1. Extra Enunciationem Subjectum audit Nomen, Prædicatum Verbum Logicum: utrumq; in Enunciatione, Extrema, ſeu Termini.* 2. Copula, vel eſt Explicita, qvæ expreſsè ponitur, ut, *Pietas eſt utilis:* vel Implicita, qvæ continetur in prædicato, ut, *Pius timet DEUM, id eſt, eſt timens DEI.*

Circa ENUNCIATIONEM tria notanda:

III. Quotuplex? Ratione

I. ESSENTIÆ ſeu SUBSTANTIÆ eſt

CATEGORICA, Simplex, qvæ conſtat ex duobus terminis, particulâ *eſt*, conjunctis. *Eſtq;:*

- ABSOLUTA, Pura, qvæ ſimpliciter, absq; modo, de ſubjecto enunciat prædicatũ, ut, *Pius timet Deum.*
- MODALIS, qvæ cum modo prædicatum de ſubjecto enunciat. *Eſt vel*
  - PRIMARIA, qvæ cum aliqvo, qvatuor horum modorum *neceſſe, impoſſibile, contingens, poſſibile,* de ſubjecto enunciat prædicatum, ut, *Neceſſe eſt electum ſalvari.* NOTA: *(1) Enunciatio Modalis conſtat Dicto & Modo. Dictum eſt enunciatio pura v. g. in datô exemplo, Electus ſalvatur, eſt Dictum:* τὸ *neceſſe, eſt Modus. (2) Vulgò gemina:* Compoſita, *cum modus præ-vel-poſtponitur Dicto, ſeu Enunciationi puræ,* ut, *Neceſſe eſt electum eſſe vocatũ;* Diviſa, *cum modus interponitur Dicto,* ut, *Electus neceſſariò eſt vocatus. (3) Neceſſe, quod aliter ſe habere non poteſt: Contingens, quod ſic eſt, ut poſſit non eſſe: Poſſibile, quod ſic non eſt, ut poſſit eſſe: Impoſſibile, quod nunquam poteſt eſſe. (4) Modus, tanq. pars prædicati, mutatus in Adverbium, in Syllog. Modalis rectificatione & reſponſione, apponendus eſt prædicato. Sed (5) De Modalibus haut quivis guſtabit aſſellus.*
  - SECUNDARIA, *ſeu,* Exponibilis *eſt vel*
    - EXCLUSIVA, in qva particula excluſiva, alia ſubjecta, vel prædicata, excludit. *Eſt duplex:* Excluſiva Subjecti, *cùm ſubjecta alia,* ut, *ſolus Deus eſt invocandus, i. e. N. ens, quod non eſt Deus, eſt invocandum;* & Excluſiva Prædicati, *cùm prædicata alia, excluſiva excludit particula,* ut, *Perſonæ Trinitatis ſunt tantùm tres, id eſt, non alius, niſi ternarius, numerus iis competit.* Particulæ Excluſivæ *ſunt: ſolus, ſolùm, duntaxat, tantùm, unus, unicus,* pauci.
    - EXCEPTIVA, *in qua partic. exceptiva, aliquid à ſubjecto, vel prædic. excipit. Eſt duplex: Exceptiva* Subjecti, ut, *O. vocatus, præter damnatum, ſalvatur:* & Prædicati, *ut, Chriſtus per omnia factus eſt nobis ſimilis, exceptô peccatô.* Partic. *Exceptivæ ſunt: Præter, niſi, extra, præterq., exceptô.*
    - LIMITATIVA, *Reſtrictiva, quæ conſtat particulâ reſtrictivâ, perquam prædicatũ de ſubjecto, certô quodam reſpectu, enunciatur. Eſt duplex:* Reduplicativa, *in qua particula reſtrictiva notat veram cauſam, vel conditionem ſine qua non, prædicati,* ut, *Homo quatenus credit, ſalvatur:* & Specificativa, *in qua particula reſtrictiva certam notat partem, modum, rationem, ſecundum quam prædicatum convenit ſubjecto,* ut, *Homo, quà animam, eſt immortalis.* Particulæ Reſtrictivæ *ſunt: quatenus, quà, in quantùm, ſecundum, quoad.*
    - COMPARATIVA, in qva prædicatum, cum aliqvâ comparatione ad aliud, ſubjecto convenit. *Eſt duplex:* Propria, *in qua tertium comparationis utriq; ſubjecto ineſt, alteri tamen magis, alteri minus;* & Impropria, *vel* ſecundum qvid, *in qua alterutri ſaltẽ,* ut Philoſophus *eſt doctior trunco; vel* abſolutè, *in qua neutri, medium comparationis ineſt,* ut, *Ebrietas eſt melior adulterio.* Particulæ comparativæ *ſunt: magis, minus, item comparativi omnes.*

NOTA: *1 Enunciationes Secundariò Modales, vocantur à Logicis Exponibiles, ideò, quòd, propter obſcuritatẽ, ex certis particulis ortam, indigeant expoſitione ſeu explicatione. 2. Exponuntur vulgò* (α) Excluſiva *per* affirmativam & negativã, ut, *ſolus Deus eſt adorandus,* *Exponitur: Deus adorandus, & quicquid non eſt Deus, non eſt adorandum.* (β) Exceptiva *per* qvod non, ut, *O. homo, præter incredulũ, ſalvatur, i. e. O. homo,* qvi non *eſt incredulus, ſalvatur:* (γ) Reduplicativa *per quia,* ut, *Homo quatenus credit in Chriſtum, ſalvatur, i. e. quia credit.* Specificativa *per qui, quæ, quod,* ut, *Homo quatenus habet pedes, ambulat, i. e. homo, qui habet pedes.* (δ) Cõparativa propria, *v. g. Aqua eſt frigidor aëre h. m. Aqua eſt frigida, aër eſt frigidus, aqua tamen frigiditate ſuperat aërem.* Impropria ſecundum quid, *v. g. Ignis eſt levior aquâ h. m. Ignis eſt levis, aqua non eſt levis. 3. Negativa tùm Excluſiva, in qua prædicatum prorſus non convenit ſubjecto, cùm Comparativa Impropria Abſolutè talis, per ſimplicem exponuntur negationem,* ut, *Non ſola Maria eſt invocanda, hoc modo, Maria prorſus non eſt, invocanda.*

HYPOTHETICA, *Compoſita, quæ conſtat ex pluribus enunciationibus, conjunctione aliquâ connexis: Eſtq;*

- CONDITIONALIS, *quæ conſtat particula conditionali,* ſi, ſin, niſi, *ut, ſi credis, ſalvaberis.*
- COPULATIVA, *quæ conſtat particula copulativa,* &, qvo, ac, atq;, *& ſimili, ut, Non & Deo, & mundo ſerviendum.*
- DISJUNCTIVA, *quæ conſtat particulis disjunctivis,* aut, vel, ſive, *ut, Aut Deo ſerviendum, aut mundo. Regula:* Disjunctio mediata nihil conficit.

II. QUALITATIS,

- AFFIRMATIVA, *in qua prædicatum de ſubjecto affirmatur. Eſt vel* Finita, *quæ conſtat ex terminis finitis,* ut, *pius eſt humilis: vel* Infinita, *quæ conſtat ſubjecto, vel prædicato, vel utroq; term. infinito,* ut, *Non-pius eſt non-humilis.*
- NEGATIVA, *in qua prædicatũ, de ſubjecto negatur,* ut, *Pius non eſt ſuperbus. Fit cùm præponitur (1)* τὸ Non *copulæ Enunciationis,* ut, *Homo õ eſt lapis. (2) ſigno quantitatis affirmativo,* ut, *Non O. homo eſt lapis. (3) toti enunciat. Compoſitæ,* ut, *Non ſi homo eſt lapis eſt animal. (4) ſignum negativum ſubjecto,* ut, *Nullus homo eſt lapis.*

III. QVANTITATIS:

- INDEFINITA, *quæ nec ſignum quantitatis, nec ſubjectum ſingulare habet,* ut, *Homo eſt rationalis.*
- DEFINITA, *quæ hb. ſignũ quantitat. ſubj. præfixũ, vel ſubjectũ ſingulare. Eſtq;*
  - UNIVERSALIS, *quæ habet ſubjectum cum ſigno univerſali,* ut, *O. credens ſalvatur. Signa* Univerſ. Affirmativa, ut, *Omnis, quicunq;, quotquot, unusquisq;.* Negativa, ut, *Nullus, nemo.*
  - PARTICULARIS, *quæ habet ſubjectum cum ſigno particulari. Signa particularia ſunt: Quidam, aliquis, non omnis.*
  - SINGULARIS, *quæ habet ſubjectum ſingulare,* ut, *Petrus credit.*

Memoriale: Qvæ? CA: vel HYP. Qvalis? NE: vel AFFIRM Qvanta? PAR. UN. SING.

JesV Meo DeCVs & gLorIa.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730578550/phys_0006
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730578550/phys_0008
DFG

Ad

DN. RESPONDENTEM RISIUM,

Amicum.

Ætatem Canonis me Præſide defendiſti
Nunc ἀπόφανσιν amas: ſic benè jura colis.
Artibus & Linguis ſic pergas rite ſtudere,
Artes & Linguæ jura benigna juvant.

Chriſtianus Woldenbergius, Cremp. Holſ.
Phil. J. U. D. Decret. P. P. Ducalis, Conſiſt. Aſſ.
& Facult. Jurid. p. t. Decanus.

ANtea quæ docto ſtudio tibi condita ſervas,
RISI, nunc Cathedrâ publica teſte facis.
Gratulor, exoptans tantorum digna laborum
Præmia demerito ſecla futura ferant.

Qvod Eximio Dn. Reſpondenti
ex animo vovet
Chriſtianus Klein/ D.

Ad Literatiſſimum

DN. RESPONDENTEM,

Amicum Optimum.

Multos Anacreontes
Qvid ſcriptitare prodeſt?
Fateor: pium
Studium tuum,
MI RISE, caſte Juris
Amator utriusqve,
Nec non tua
Scientia,
Superat meas abundè
Vires, labor ſubinde.
Qvid nunc ego
Faciam? nego
Me ſcriptitare metrum,
Pede claudicante, verſum?
Sic mentior.
Qvid? Mentior?

Poëta laureatus,
(Scis) non ego creatus.
Ergò parum
Curo metrum
An claudicante curſu,
Aut ceſpitante ſaltu,
Eat, meet,
Nec recreet.
Tales ſibi lepores,
Doctus Poëta mores,
Servet, creet,
Nec exſcreet
Tùm gentium Deorum,
Cùm turpium Dearum,
Et numina,
Et nomina:
Qvæ nullus ore ſanctus Ex. 23,13.
Si-ſi eſſe vult beatus, Pſ. 16. 4.
Pronunciet,
Haut invocet.
Fors ceſpitante metrô,
Balbutiente plectrô
Tempus moror?
Nihil moror.
Verſus proinde, claudô
Metrô perinde, claudo.
Supplex DEUM
Rogo meum,
Sit is Tibi juvamen,
Solamen & levamen
Omni die,
Et hodie
Enunciationes,
Exercitationes,
Iſtas pias,
Minuſculas
Benedictione multâ,
Maledictione nullâ,
Ditet, beet,
Et recreet.

αὐτοσχεδιαστὶ ſcr.

PRÆSES.

Non Tibi, MI RISI, nunc doctum ſcribere carmen
Poſſum; ſed ſupplex fundere vota volo.
Ex alto veſtrum certamen JOVA gubernet!
Credito certanti clara corona datur.

Jacobus **Bethman**/ *Tribſeâ Pom.*

Quis non hunc laudet, qui JURA enunciat *aptè,*
Et λογικῶς *profert, quæ meditatus erat?*
Ergò laudandus meritò es Doctiſſime RISI,
Qui Logicis THEMIDOS *dogmata juncta cupis.*

Petrus **Fiſcher**/ *Holſat.*

* * *

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730578550/phys_0011
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730578550/phys_0012
DFG

Ad

DN. RESPONDENTEM [...]

Amicum.

ÆTatem Canonis me Præſide de[...]

Nunc ἀπόφανσιν amas: ſic b[...]is.

Artibus & Linguis ſic pergas r[...]

Artes & Linguæ jura benign[...]

Chriſtianus Woldenberg[...] Holſ.

Phil. J. U. D. Decret. P. P. [...] Aſſ.

& Facult. Jurid[...].

ANtea quæ docto ſtudio tibi condita ſerva[...]

RISI, nunc Cathedrâ publica teſt[...]

Gratulor, exoptans tantorum digna laboru[...]

Præmia demerito ſecla futura ferant.

Qvod Eximio Dn. [...]

exani[...]

Chri[...]in/ D.

Ad Literatiſſimum

DN. RESPONDEN[...]

Amicum Optimum.

MUltos Anacreontes

Qvid ſcriptitare prodeſt?

Fateor: pium

Studium tuum,

MI RISE, caſte Juris

Amator utriusqve,

Nec non tua

Scientia,

Superat m[...]

Vires, lab[...]

Qvi[...]

Faci[...]

Me ſcripti[...]

Pede clau[...]m?

Sic [...]

Qv[...]

Poeta